

Antiochiam Boemundus cum suis copiis est reversus. Gothifredus interim Flandrensisque Comes Gibellum, urbem diutissima obsidione cingunt, cinctam haud multo post recipiunt. Ex Gibello ad Tortosam profecti, ubi ob paucitatem copiarum suos in discrimine esse maximo cognoverant, eo quoque & Normanus Comes a Raimundo accitus venit. Sic trinis castris in unum collatis, Tortosa arctiori obsidione cæpta est premi: sed oppugnatione in tertium mensem per irritos labores distracta, infecta re duces inde copias abduxere: atque Tripolitano regi æquioribus conditionibus, quam ab initio proposita fuisset, pace reddita, vestibus ab eo, armis, pecuniis, commeatuque adjuti, Hierosolymam versus moverunt. Ad Betelon eo die quo primo mota sunt signa, ventum est: hinc ad urbem Zebarim, in cujus finibus non nihil est aqua laboratum: tertio die ad flumen Braim confedere. Hinc digressi per arduos & abruptos montes non sine insidiarum metu traductus exercitus: quinque castris Berithum urbem maritimam venere: ad Sagittam deinde castra habita: quibus postea promotis, decimo tandem die ad Cæsaream est ventum. Hic biduum quieti datum: ad Ramolas postea quadrato agmine itum, locum ab hostibus metu destitutum. Demum tertia vigilia motis signis, sub ortum solis Hierosolymæ mœnia iis, qui in primo erant agmine, haud procul apparuere. Tum vero ad primum conspectum ingenti alacritate sublatus clamor: pars Christi summi regis nomen venerari: pars in terra procumbentes, mixtis cum risu lachrymis sanctam urbem sanctumque sepulchrum salutare. Et quia locus postulat, ut de vetustate & apparatu loci aliqua dicantur, ne nimis libri hujus magnitudo crescat, sextus, qui huic subjicietur, ab urbis descriptione sumet exordium.